

et Major in 4, dist. 1, quæst. 5, absolute dicit, octavum diem non fuisse de necessitate sacramenti, sed fuisse necessarium necessitate ministri. Et idem significat Palud. ibi, quæst. 5, art. 3. Secundo vero responderi potest, concedendo sequelam; nam circumcisio data ante octavum diem erat simpliciter contra Dei institutionem et in subjecto incapaci; unde non erat sacramentum, nec cæremonia sacra, sed impia, et injusta pueri interfectio, ut dictum est. Neque erat inconveniens, puerum illum relinqui sine proprio sacramento circumcissionis, quia, quod ad remedium animæ spectat, poterat ei subveniri per sacramentum legis naturæ; quod vero spectabat ad exteriorem characterem, idem erat, ac si per legitimum sacramentum esset impressus. Sicut si aliquis Gentilis circumciscus, ut erat moris inter Ægyptios et alios, voluisset ad Judaismum transire, non poterat ei sacramentum circumcissionis applicari; poterat tamen aliis modis suam fidem profiteri, et velle populo Judæorum ascribi, et quasi acceptare characterem, quem in sua carne habebat impressum, tanquam signum distinctivum Judæorum ab aliis gentibus, et præfigurativum Christi ex illo populo venturi. Lege Augustinum, epist. 203, ubi de circumcissione Samaritanorum fere in hunc modum philosophatur.

5. Tertio certum est, octavum diem non ita fuisse de necessitate sacramenti, quin circumcisio data post illum diem esset verum sacramentum; imo neque ita fuisse de necessitate præcepti, quin ex legitima causa posset absque peccato differri. Prior pars est certissima ex sententia omnium theologorum, cum Hugone, Magistro, et D. Thom., locis citatis; et constat in ipso initio institutionis; nam Abraham senex, et Ismael tredecim annorum, et omnes viri domus ejus, infantes et adulti, cujuscumque ætatis essent, dummodo octavum diem attigissent, circumcisi sunt. Rursus proselyti, in quacumque ætate circumcidebantur, quando fiebant Judæi, ut patet de Achior, Jud. 14; et Exod. 10, datur generalis facultas, ut omnis alienigena, qui vellet comedere phase, circumcidi posset; et ideo Paulus circumcidit Timotheum, ut Judæis satisfaceret, Actor. 16; signum ergo est, circumcissionem, in quacumque ætate datam, existimatam fuisse validam a Judæis. Dicere aliquis posset, hoc potuisse habere locum in advenis, non vero in filiis Judæorum, qui ob negligentiam parentum ultra octavum diem

manerent incircumcisi, quia de tota posteritate Abrahamæ nascitura post illam legem institutum est, ut octavo die circumcideretur, de illis vero, qui jam nati erant, quando instituta est circumcisio, et de advenis postea adjungendis populo Judaico per circumcissionem, non est præscripta illa temporis determinatio. Respondetur, hanc fugam gratis esse confictam, tum quia non erat pejoris conditionis Hebræus incircumciscus, quam Gentilis, ut hic censeretur capax circumcissionis, et non ille; tum etiam quia conditiones, quæ sunt de necessitate sacramenti, generales sunt. Tandem ratio a priori est, quia licet usque ad octavum diem infans esset incapax sacramenti circumcissionis, tamen ex eo die incipiebat esse capax, et ideo perpetuo manebat capax illius sacramenti, quamvis, per se loquendo, non deberet ultra diem illum differri. Atquæ hæc pars a fortiori patebit ex sequenti, quæ in primis probatur ex facto Judæorum, qui per plures annos incircumcisi fuerunt, quamdiu per desertum peregrinabantur; neque enim dicendum est, eos tunc peccasse transgrediendo legem circumcissionis, tum quia non est credibile Moysen, et alios viros sanctissimos, publicam illud et generale peccatum esse permissuros; tum etiam quia nunquam Deus propter illam causam eos punivit, aut reprehendit; cum tamen propter minora et privata peccata solveret id facere et gravissime. Neque est verisimile, quod Major et alii dicunt, illud factum esse ex speciali dispensatione divina; nulli enim de tali dispensatione constat, neque Jos. 5, alia causa illius dilationis redditur, nisi quia per quadraginta annos iter latissimum egit populus in solitudine; nulla ergo intercessit dispensatio, sed ipsa rationabilis causa sufficiens fuit ad excusandos illos ab obligatione; hæc autem causa duplex assignari solet. Prima ex Damasc., lib. 4 de Fide, c. 26, quia, cum populus tunc versaretur in deserto, satis erat segregatus a cæteris populis absque circumcissione. Sed hæc ratio, licet possit nonnihil juvare adjuncta altera, tamen non esset per se sufficiens ad excusandum a præcepti obligatione, quia cessante fine legis solum negative, non cessat obligatio legis. Secunda ergo et sufficiens ratio est, quia semper erant quasi in continuo motu, et ideo non poterant circumcidere infantes sine gravi illorum detrimento. Idem ergo judicium ferendum est de quovis simili casu, vel generali, vel particulari. Et ratio est, quia lex

positiva, etiam divina, est suavis et accommodata humanæ fragilitati; et ideo non obligat cum tanto vitæ discrimine, nisi in ipsa lege exprimat, vel ex fine ejus satis certo colligatur, hanc esse intentionem legislatoris; neutrum autem in præsentem locum habet, ut de se constat. Dices: ergo, facta hujusmodi dilatione necesse est, manere infantem, vel etiam adultum toto illo tempore sine remedio originalis peccati, et consequenter etiam mori absque tali percepto; hoc autem videtur inconveniens et contra finem illius institutionis. Respondetur, simpliciter negando sequelam, quia circumcisio non erat remedium absolute necessarium, ut sæpe dictum est; poterat ergo in eo casu adhiberi sacramentum legis naturæ, ne infans tamdiu maneret in statu peccati, et adulti per contritionem poterant justificari; et ideo non erat magnum inconveniens, quod sine circumcissione morentur, si justa ex causa illam prætermitterent. Atque ita fere respondet D. Thom. in 4, dist. 2, quæst. 2, art. 3, quæstiunc. 1, ad 3, agens de Judæis, si qui forte in deserto incircumcisi mortui sunt; nam idem, inquit, dicendum est de eis, quod de his, qui ante circumcissionis institutionem moriebantur; addit tamen incertum esse, an aliqui incircumcisi mortui fuerint in deserto, quia, ut dicitur in Psalm. 104: *Non erat in tribubus eorum infirmus*, et Josue 5, solum dicitur, mortuos fuisse in deserto omnes, qui exierant de Egypto, qui omnes circumcisi erant.

6. Quarto, reddit D. Thom. rationem hujus circumstantiæ diei octavi, et litteralis quidem fuisse videtur, quia ante illum diem propter ætatis teneritudinem non possent infantes sine periculo circumcidi; ab illo autem die jam erant sufficienter validi, seu consolidati, ut possent vulnus illud et dolorem sine periculo sustinere; non debuit autem ultra differri, vel (ut quidam aiunt), ne nimium obduraretur caro et dolor esset vehementior; vel certe, quia nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia, et ideo non debuit remedium animæ differri, postquam jam caro erat idonea ad sustinendum illud. Addit Cyprian., dicto serm. de Ratione circumcissionis, jussam esse partem illam, etiam in parvulis, amputari, ut proprii primitias sanguinis ei, qui totum sanguinem suum oblaturus erat, offerrent, et communia singulorum sacrificia singulare præcederent holocaustum; ex quibus verbis colligi etiam potest ratio fortasse non improbanda, scilicet jussum esse sangui-

nem infantium effundi, quam primum commode posset, ut Christus, quasi ex illo præcepto occasione sumpta, posset statim in infantia pro nobis sanguinem suum fundere, statim ac sine periculo mortis posset, quia non expediebat eum tunc mori, et tamen oportebat, ut statim solvere inciperet pretium sanguinis sui, copiose postea effundendi. Mystica vero ratio est, quia per octavum illum diem circumcissionis significatur dies resurrectionis, in quo, omni vetustate exuta, natura nostra perfecte renovabitur et mortalitate prorsus expoliabitur. Christus enim die dominica, quæ est octava post hebdomadam completam, surrexit, et omnes homines post septimam mundi ætatem in octava resurrecturi sunt; et ideo per octavam diem perfectio gratiæ et gloriæ designatur, ut significat Justinus in Dialog. cum Tryphone; Cyprian., ep. 59; Hieron., Amos 5, et Osee 3; Ambros., l. de Abraham Patriarch., c. 14; et August., 16 cont. Faustum, c. 29, et 2 lib. de Gratia Christi, cap. 31.

7. Quo loco fiebat circumcisio. — *Minister circumcissionis.* — Ultimo inquiri potest de aliis circumstantiis, quas D. Thom. omisit, nec sine causa, quia sicut de eis nihil scriptum est, ita earum observatio nihil ad ritum circumcissionis spectabat. Quædam ex his circumstantiis esse potest locus, de quo nihil per legem circumcissionis præscriptum erat, ut constat ex Gen. 17. Nec postea in lege statutum fuit ut in templo fieret; quomodo enim poterant infantes omnes in templum adduci infra octavum diem? præsertim ex remotioribus locis; neque etiam oportebat circumcissionem fieri in synagoga, vel alio simili loco. Unde Abraham primam circumcissionem in domo sua celebravit; Sephora filium suum circumcidit in diversorio; Josue circumcidit populum in Galgalis; Joannes Baptista in domo patris Zachariæ circumciscus est; Christus vero in Bethleem. Itaque quoad hanc circumstantiam nihil peculiare habemus de ritu circumcissionis. Altera circumstantia esse potest minister; et de hoc etiam nihil peculiare statutum fuit; nam Gen. 17, solum dicitur: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem præputii vestri*; et nihil aliud in particulari traditur, neque ibi, neque in tota lege. Unde interdum legimus, viros circumcissionem effecisse, ut de Abraham in prædicto loco; interdum vero fœminas, ut de Sephora, Exodi 4, et de aliis, 1 Machab. 4; et probabile est, potuisse adultum, seipsum cir-

cumcidere, quia neque ex verbis legis, neque ex usu potest aliud colligi, ut notavit Abulensis, Josue 5, quæst. 44. Abraham enim seipsum circumcidit, ut constat ex Gen. 17, quamvis de nullo alio id legatur; nam potius ibi dicitur Abraham circumcidisse reliquos viros domus suæ, et Josue dicitur circumcidisse reliquum populum, Josue 5. Reliquæ vero circumcisiones, quia fiebant in infantibus, necesse erat per alios fieri; solum de Achior legitur Judith. 4: *Relicto gentilitatis errore credidit Deo, et circumcidit carnem præputii sui*; quæ verba possent verificari, etiam si ab alio fuerit circumcisis; itaque etiam de hoc nihil constat fuisse lege præscriptum. Unde non solum a justo, sed etiam a pravo ministro, nec solum fideli, sed etiam ab infideli, dari poterat circumcisio, etiam quoad veram rationem sacramenti, dum modo fieret intentione consecrandi puerum seu hominem circumcisu Deo, seu faciendi quod Deus instituit, et præcepit Abrahæ, seu faciendi quod faciebant Judæi, de quo satis diximus supra, tractando in genere de ministris sacramentorum. Atque hoc sensu sapienter dixit hoc loco Sebastianus Oxomensis Episcopus, circumcisionem, quatenus fuit remedium, quo remitteretur originale peccatum, et professio fidei de Christo venturo, potuisse esse in usu omnium gentium; poterant enim hoc externum signum eligere inter alia, et sine dubio esset validum ad prædictum effectum, si ea intentione fieret, quamvis non fieret cum intentione sese obligandi ad Judæismum, seu profitendi illam legem, seque illi populo adjungendi, quo modo de circumcisione loquitur Paulus ad Galat. 5. Ultima cæremonia esse poterat nominis impositio, quæ fiebat in die octavo, finita circumcisione, sicut nunc fit in baptismo, de qua re satis diximus superiori tomo, ad quæst. 37 D. Thom. Dicunt autem quidam, solitum fuisse nomen imponi a matribus, propter ea, quæ leguntur de Rebecca et Lia, Gen. 29 et 30, et de matre Samsonis, Jud. 13; sed hoc non est generatim intelligendum, quia cum vir caput sit mulieris, et præcipuus in generatione filiorum, sicut ad eum præcipue spectat eorum gubernatio, ita et nominis impositio. Neque verisimile est, in lege veteri privatum fuisse virum hoc jure; nullum enim est fundamentum ad hoc asserendum, et præterea fuisset quidam abusus patriæ potestatis. Unde Lucae 4, cum Elisabeth vellet, ut nomen Joannis filio suo imponeretur, idque cæteris cognatis

novum in familia videretur, *innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum*; et Matt. 1 dixit Angelus Josepho, *Et vocabis nomen ejus Jesum*, quia licet pater ejus non esset, patris tamen munere functurus erat; per se igitur hoc ad patrem pertinebat; interdum vero potuit mater nomen eligere seu imponere, patre non repugnante, sed potius consentiente; neque aliud ex citatis Scripturæ testimoniis colligi potest.

## ARTICULUS IV.

Utrum circumcisio conferebat gratiam justificantem (sup. quæst. 62, art. 6, ad 3; et 4, dist. 1, quæst. 1, art. 4; et Ver., quæst. 28, art. 2, ad 12; et Rom. 4, lect. 5).

1. *Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod circumcisio non conferebat gratiam justificantem; dicit enim Apostolus Gal. 2: Si ex lege est justitia, Christus gratis mortuus est, id est, sine causa. Sed circumcisio erat quædam obligatio legis implendæ, secundum illud Gal. 5: Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Ergo, si ex circumcisione est justitia, Christus gratis, id est, sine causa, mortuus est. Sed hoc est inconveniens; non ergo ex circumcisione erat gratia justificans a peccato.*

2. *Præterea, ante institutionem circumcisionis sola fides ad justificationem sufficiebat; dicit enim in Gregor. in 4 Moral., c. 3: Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres pro parvulis sola fides. Sed virtus fidei non est imminuta per mandatum circumcisionis; ergo sola fides parvulos justificabat, et non circumcisio.*

3. *Præterea, Josue 5 legitur, quod populus, qui natus est in deserto per quadraginta annos incircumcisis fuit. Si ergo per circumcisionem auferebatur peccatum originale, videtur, quod omnes, qui in deserto mortui sunt, tam parvuli, quam adulti, fuerint damnati. Et eadem obiectio est de pueris, qui moriebantur ante octavum diem circumcisionis, quæ præveniri non debebat, ut dictum est (art. præced., ad 3 argum.).*

4. *Præterea, nihil impedit introitum regni cælestis, nisi peccatum. Sed circumcisi ante passionem Christi impediabantur ab introitu regni cælestis. Non ergo per circumcisionem homines justificabantur a peccato.*

5. *Præterea, peccatum originale non dimittitur sine actuali, quia impium est a Deo dimidiam sperare veniam, ut August. dicit*

(in lib. de Ver. et fals. pœnit., cap. 9, non longe a princ., tom. 4). *Sed nusquam legitur, quod per circumcisionem remitteretur actuale peccatum. Ergo etiam neque originale per eam dimittebatur.*

*Sed contra est, quod August. dicit ad Valerium contra Julianum (lib. 2 de Nupt., et concupiscent., cap. 41, a med.): Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat signaculum fidei justitiæ Dei, ad sanctificationem purgationis valebat parvulis originalis veterisque peccati, sicut et baptismus ex illo cæpit valere tempore ad innovationem hominis, ex quo institutus est.*

*Respondeo dicendum, quod ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum originale remittebatur. Quidam tamen dixerunt, quod non conferebatur gratia, sed solum auferebatur peccatum, quod Magister ponit in prima dist., 4 Sententiarum, et Roman. 4 in Gloss. ord. (super illud: Signum accepit circumcisionis). Sed hoc non potest esse, quia culpa non remittitur, nisi per gratiam, secundum illud Rom. 3: Justificati gratis per gratiam. Et ideo alii dixerunt, quod per circumcisionem conferebatur gratia, quantum ad effectus remissionis culpæ, sed non quantum ad effectus positivos, ne cogentur dicere, quod gratia in circumcisione collata sufficiebat ad implendum mandata legis, et ita superflua fuerit adventus Christi. Sed hæc etiam positio stare non potest. Primo quidem, quia per circumcisionem datur pueris facultas suo tempore perveniendi ad gloriam, quæ est ultimus effectus positivus gratiæ. Secundo, quia priores sunt naturaliter, secundum ordinem causæ formalis, effectus positivi, quam privati, licet secundum ordinem causæ materialis sit e converso; forma enim non excludit privationem, nisi informando subjectum. Et ideo alii dixerunt, quod in circumcisione conferebatur gratia, etiam quantum ad aliquem effectum positivum, qui est, facere dignum vita æterna, sed non quantum ad omnes effectus, quia non sufficiebat reprimere concupiscentiam fomitis, nec ad implendum mandata legis, quod etiam aliquando mihi visum est. Sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, et vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis; minima enim charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri et argenti. Et ideo dicendum est, quod in circumcisione*

*conferebatur gratia, quantum ad omnes gratiæ effectus; aliter tamen quam in baptismo. Nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet, in quantum est instrumentum passionis Christi jam perfectæ.*

*In circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis Christi, cujus signum erat circumcisio; ita scilicet, quod homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde et Apostolus dicit Rom. 4, quod Abraham accepit signum circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante. Et quia baptismus operatur instrumentaliter et virtute passionis Christi, non autem circumcisio, ideo baptismus imprimat characterem; incorporat enim hominem Christo, et copiosorem gratiam confert, quam circumcisio; major enim est effectus rei jam præsentis, quam spei.*

*Ad 1 ergo dicendum, quod ratio illa procederet, si ex circumcisione esset justitia aliter, quam per fidem passionis Christi.*

*Ad 2, dicendum, quod sicut ante institutionem circumcisionis, sola fides Christi futuri justificabat tam pueros quam adultos, ita etiam et circumcisione data. Sed antea non requirebatur aliquod signum protestativum hujus fidei, quia nondum homines fideles, seorsum ab infidelibus cæperant adunari ad cultum unius Dei. Probabile tamen est, quod parentes fideles pro parvulis natis et maxime in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei), sicut adulti pro seipsis preces et sacrificia offerebant.*

*Ad 3, dicendum, quod populus in deserto prætermittens mandatum circumcisionis, excusabatur, tum quia nesciebant, quando castra movenda erant; tum quia, ut Damascen. dicit (lib. 4, c. 26, circa princ.), non necesse erat eos aliquod signum distinctionis habere, cum seorsum ab aliis populis habitabant. Et tamen, ut August. dicit (in lib. Quæst. sup. Josue, cap. 5, a med., tom. 4), inobedientiam incurrebant, qui ex contemptu prætermittentibus. Videtur tamen, quod nulli incircumcisi mortui fuerint in deserto, quia ut in Psalm. 104 dicitur: Non erat in tribubus eorum infirmus, sed illi soli videntur mortui in deserto, qui fuerant in Ægypto circumcisi. Si tamen aliqui incircumcisi mortui sunt, eadem ratio*

est de his, ut de his, qui moriebantur ante circumcisionis institutionem. Quod etiam intelligendum est de pueris, qui moriebantur ante octavum diem tempore legis.

Ad 4, dicendum, quod in circumcisione auferebatur originale peccatum ex parte personæ; remanebat tamen impedimentum intrandi in regnum cælorum ex parte totius naturæ, quod fuit sublatum per passionem Christi. Et ideo etiam baptismus ante passionem Christi non introducebat in regnum. Sed et circumcisio, si haberet locum post passionem Christi, introduceret in regnum.

Ad 5, dicendum, quod adulti, quando circumcidebantur, consequerentur remissionem, non solum originalis peccati, sed etiam actualium peccatorum. Non tamen ita, quod liberarentur ab omni reatu pænæ, sicut fit in baptismo, in quo confertur copiosior gratia.

Materia hujus articuli fuisse satis tractata est supra in materia de sacramentis in genere; circa litteram autem D. Thom. nihil necesse est addere, præter ea, quæ in præcedentibus dicta sunt.

#### QUÆSTIO LXXI.

DE PRÆPARATORIIS, QUÆ SIMUL CONCURRUNT CUM BAPTISMO, IN QUATUOR ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de præparatoriis, quæ simul concurrunt cum baptismo.

Et circa hoc quærentur quatuor.

1. Utrum catechismus debeat præcedere baptismum.
2. Utrum baptismum debeat præcedere exorcismus.
3. Utrum ea, quæ aguntur in catechismo et exorcismo, aliquid efficiant vel solum significant.
4. Utrum baptizandi debeant catechizari, vel exorcizari per sacerdotes.

#### DISPUTATIO XXX.

DE RITU AC CIRCUMSTANTIIS, SEU CÆREMONIIS IN SOLEMNI BAPTISMO OBSERVANDIS.

Postquam dictum est de essentia et omnibus causis, ac effectibus baptismi, superest, ut de cæremoniis, quæ sunt veluti accidentia, sive proprietates ejus, pauca dicamus. Supponimus autem, baptismum in Ecclesia duo-

bus modis celebrari posse: primo, privatim et absque speciali solemnitate; et tunc nullum specialem ritum requirit præter ea, quæ sunt de essentia, quia ut sæpe dictum est, in quovis loco, quovis tempore, a quacumque persona ministrari potest, dummodo necessitas id requirat. Secundo datur baptismus publice et solemniter, adjunctis quibusdam cæremoniis ab Ecclesia institutis, quarum antiquitas et ratio explicanda a nobis est. Et has cæremonias vocat hic D. Thomas præparatorias ad baptismum; quas dicit simul cum illo concurrere, non quia omnino eodem tempore fiant; quædam enim antecedunt, aliæ comitantur, aliæ vero baptismum consequuntur; tamen quia proxime ad illum ordinantur, moraliter dicuntur simul cum illo fieri. Quoniam vero D. Thom. solum de quibusdam ex his ritibus in particulari disserit, visum est, nonnulla prius in communi præmittere, ut res tota melius et copiosius comprehendatur.

#### SECTIO I.

Quibus de causis, seu ad quos effectus institutæ sint cæremoniæ baptismi.

1. Cum hæretici omnes Ecclesiæ cæremonias generatim contemnant, multo tamen magis has irrident, quas in baptismo servat Ecclesia; maxime propter earum multitudinem, quæ videtur valde onerosa et inutilis, et specialiter, quia quædam earum videntur nimis supersticiosæ, et non solum inutiles, verum etiam contemptibiles, ut sunt gustus salis, tactus narium et aurium saliva. Addunt, in primitiva Ecclesia simpliciori modo, absque hujusmodi observationibus datum esse baptismum, nam quocumque tempore et loco, in fluviis et fontibus, baptizabantur credentes, ut ex Act. 8 et 16, colligi potest, et tractat Walfredus Strabo, lib. de Rebus Eccles., cap. 26.

2. Conveniens fuit baptismum in Ecclesia solemniter aliquo ritu celebrari. — Redditur quadruplex ratio cæremoniarum baptismi. — Dicendum vero est, convenientissimum fuisse, ut baptismus solemniter aliquo ritu in Ecclesia traderetur. Hæc conclusio est de fide; ad quam confirmandam sufficit Ecclesiæ auctoritas, usus, perpetuaque traditio, de qua statim in particulari plura afferemus. Videri etiam possunt supra tractata disput. 15, sect. 2, ubi in genere rationes sacramentalium rituum indicavimus. Nunc solum expli-

candæ sunt causæ, ob quas hic usus cæremoniarum magis quodammodo in baptismo, quam in aliis sacramentis observatus et auctus est; plures enim cæremoniæ in hoc sacramento ministrando, quam in cæteris observantur. Possunt autem hæ causæ ad quatuor capita reduci, quæ sunt instructio, significatio, efficacia, ornatus seu decencia aut reverentia sacramenti. Primo enim per hoc sacramentum regeneratur homo, et a dæmonis potestate ad Dei cultum et amicitiam traducitur, et ab infidelitate ad fidem, et in Ecclesiæ gremium recipitur; oportet ergo, ut prius instruat et disponatur; ad hunc ergo finem maxima pars harum cæremoniarum ordinatur, ut de catechismo docet D. Thom. statim art. 1, de quo ibi plura afferemus. Secundo, oportuit non solum doctrina et verbis, sed etiam rebus ipsis, et actionibus significari mysteria, quæ in baptismo continentur, vel propter ipsum baptizatum (si sit adultus), vel saltem propter alios fideles, qui sensibilibus signis indigent, quibus excitentur ad intelligenda supernaturalia mysteria, ut ea possint facilius memoria retinere; hæc ergo de causa adhibitæ sunt multæ cæremoniæ propter significationem, ut docet Augustin., 1 lib. de Peccat. mer. et remis., cap. 26, et aliis locis, quæ in dicta disp. 15 citavi, et in sequentibus omnia hæc signa breviter exponemus. Tertio, nonnullæ ex his cæremoniis creduntur exhibitæ propter efficaciam alicujus spiritualis effectus, qui duplex excogitari potest, scilicet ablatio alicujus mali, seu impedimentorum, quæ vel sacramentum, vel effectum ejus impedire possunt; vel collatio, seu impetratio alicujus boni. Propter priorem effectum censetur institutus exorcismus, de quo D. Thom. art. 2; quamvis Altisiodorens., lib. 4 Summæ, tract. 3, cap. 4, quæst. 4, censeat solum adhiberi propter significationem, præsertim in baptismo infantium. Alii vero tantam censent esse hujus exorcismi efficaciam, ut minuat pœnam peccato originali debitam, si forte, qui exorcizatur, ante susceptum baptismum moriatur. Sed hoc valde frivolum est, tum quia reatus pœnæ non minuitur, si culpa eadem semper maneat; tum etiam quia pœna originali peccato debita minima est, et suo modo indivisibilis. Si quam ergo efficaciam habent hæ cæremoniæ in liberando a malo, solum est, quoad coercendam dæmonis potestatem circa hominem baptizandum. Et hoc sensu dicitur dæmon ab illo expelli, non quia semper ante baptismum

homo sit obsessus a dæmone; sed quia ratione originalis peccati quodammodo est ejus potestati traditus, et ampliorem facultatem, seu licentiam accepit hominem affligendi ac tentandi; hæc igitur ejus potestas arcetur, atque impeditur, per exorcismum, ne ulla ratione noceat homini baptizando, eumque a sacramento suscipiendo impediatur; qui effectus fortasse non obtinetur solum pro eo tempore, quo datur baptismus, sed etiam in futurum. Alter effectus, quasi positivus per collationem alicujus doni, difficilius explicatur; docet tamen hunc effectum D. Thom. hic, art. 3, ad 4, ubi ait: *Inunctio, quæ fit in vertice, operatur conservationem gratiæ baptismalis*; ubi Cajetan. ait, posse hoc intelligi, vel per remotionem impedimenti tentantis dæmonis, vel per excitationem alicujus boni motus; sed prior effectus magis pertinet ad exorcismum; posterior vero, neque in parvulis locum habet, neque in adultis videtur posse sufficienti fundamento affirmari, ut Durand., Paludanus, et alii Scholastici notarunt; quapropter incertus satis est hic effectus. Sed oportet recolere quod supra de sacramentis in genere diximus, hanc efficaciam non esse proprie ex opere operato, neque ex solo merito operantis, vel ministri, vel hominis baptizandi, vel aliorum astantium, sed fundari in impetratione totius Ecclesiæ, cujus nomine et auctoritate hæc omnia fiunt; fieri ergo potest, ut sicut Ecclesia impetrat per hæc sacramentalia, ut Deus coerceat dæmonis potestatem, ita etiam impetret bonum animæ motum ad resistendum illi, et gratiam conservandam: qui motus, vel statim detur, si homo fuerit capax et illo indigeat, vel postea, tempore opportuno; atque ita poterit hic effectus habere locum in infantibus, ut magis ex his, quæ dicemus, in singulis cæremoniis constabit. Quarta causa, seu ratio harum cæremoniarum est, propter decenciam et ornatum tanto sacramento debitum; cum enim hoc sacramentum sit Ecclesiæ janua, et prima solemniter fidei professio, decuit majori pompa et celebritate fieri. Deinde, quia substantialis ritus hujus sacramenti est simplicissimus, et paucissimis rebus, et vulgaribus, ac communibus perficitur, quia ita fieri oportuit propter ejus necessitatem; ut ergo majori reverentia tractaretur, et ne apud rudiores homines vilesceret, oportuit debito cæremoniarum cultu celebrari.

3. Ad hæreticos ergo nihil est, quod res-